

Pro rectificatione Metarum cum vicinis Regnis et Provinciis.

A r t i c u l u s 30.

§. 7. Eodem modo ex parte metarum inter Regna Croatiae et Sclavoniae ab una et Provincias Styriae, Carinthiae et Carnioliae, ab altera partibus, usque ad mare Adriaticum controversarum; Magnificus Dominus Sigismundus Keglevich de Busin: Admodum Reverendus Dominus Joannes Skerlec: Egregii item Caspar Orechoczy, Vice-Banus: et Magister Joannes Szakmardy, Regni Sclavoniae Protonotarius.

Qualiter contra Malefactores Nobiles aliquod domicilium habentes procedendum? Poena item et modus contra Vice-Comites, Inquisitiones publicas non peragentes: Dimissores similiter et fautores Malefactorum: Nec non Generales et Capitaneos, Comitatus in praemissis impediens; praescribitur.

A r t i c u l u s 38.

§. 3. Dimissores et Fautores malefactorum et eos non punientes; aut in ipsorum officiis, extirpandisque hujusmodi Malefactoribus remissores; Liberi quidem Comites et Nobiles Jus gladii habentes ac Magistratus Civiles per Vice-Comites; Ipsi vero per Supremos Comites Comitatum; hi demum per Dominum Comitem Palatinum ac in Croatia et Sclavonia Dominum Comitem Banum, juxta praecitatum Articulum 13. ibidemque annexos Articulos, sine longiori Juris processu puniantur.

§. 4. Contra Generales Capitaneos, eorumque Officiales Bellicos, sese in jurisdictionem Supremorum et Vice-Comitum ingerentes, eosdemque in puniendis malefactoribus impediens; Articulus 20. Anni 1618. (cum addita poena Articuli 19. Anni 1495.) diligenter observetur per memoratos Dominos Comites Palatinum; in Sclavonia vero et Croatia Banum, irremissibiliter exequenda.

Causa Sigismundi Szántóházy super patrata Fratris sui Patruelis nece, jure per Dominum Comitem Banum revideatur et Executioni demandetur.

A r t i c u l u s 58.

In causa Sigismundi Szántóházy, qui Dei et Legum Patriae timore postposito, fratrem suum Patruelem, more sicario aggressum una cum Servitore suo, crudeliter interemisisset; Patratique homicidii conscius in partes Regnorum Croatiae et Sclavoniae evasisset, ibidemque de praesenti delitesceret:

§. 1. Statuitur ut soluta hac Diaeta, quam primum Dominus Comes Nicolaus a Zrinio, Banus, Deo Duce domum redierit, eundem ad sedem suam, tanquam Magistratus, peremptorie citari faciat, convocatisque Jurisperitis viris si comparuerit; in eadem Sede finale Judicium Executionemque recipiat: Si vero non comparuerit; proscribatur et proscriptus juxta demeritum puniatur.